



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Aduocatus potest octo modis in officio peccare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Si enim periculum ex manifestando adulterio infamet, occultè satisfiat vt melius potest: & reliquum diuinæ misericordiæ referuetur: iuxta cap. Officiis. de pœniten. & remis. quia sicut cessante iudiciaria coactione non tenetur homo perdere vitam aut libertatem, vt satisficiat debito pecuniario: ita nec tenetur perdere famam aut vitã in proposito, vbi de sola pecuniaria re agitur. Cessante autem periculo & vitæ, & famæ, & huiusmodi, si non potest aliter satisfieri, spes fructus futuri ex manifestatione adulterii pensanda est: puta si speratur, quòd maritus postquam sciet prolem non esse suam dotabit illam, aut hæredẽ instituet: aut si speraretur, quòd proles audiens, propterea ingredietur monasterium, aut aliquod aliud remedium proueniet. Nam si fructus nullus speratur, quia de iure nec maritus nec proles tenetur mari adulteræ credere in huiusmodi, vana esset manifestatio adulterii.

Quò ad hospitaliũ verò damnificationẽ, duo consideranda sunt. Primum, quòd nullum peccatum est prolem exponere vt in hospitali alatur, ad occultandum huiusmodi adulteria, hæc enim est vna ex rationibus, quare loca hæc pia instituuntur. Secundum, quòd si pater aut mater prolis non est indigens, debet & satisfacere hospitali (quia bona huiusmodi hospitalium non in diuitum, sed pauperũ adminiculũ sunt & quantũ consumitur à non pauperibus, tantum indigentibus adimicur) & prouidere proli, vt bene instituat, tenentur enim parentes non solum alere & vestire, sed instruere per se, vel alios prole propriam.

Aduocatus potest octo modis in officio peccare.

ADuocati & procuratoris iniquitates sunt octo. Prima est, assumere causam iniustam descendendam,

dam, ita quòd nouit esse iniustā Nec excusatur si non ad vincendū, sed aut ad differendū, aut ad concordandū, seu pacta aliqua ineunda hoc facit quoniam hæc omnia constat esse iniqua. Et similiter non excusatur, si iniquam causam in principali habens, vexat aduersariū assumēdo aliquod caput iustum: vt sub ac iustitia gradiendo, principale iustū impediatur, aut differat, aut etiā peruertat: oportet enim non solum medium, sed finē esse non iniquum. Sed heu apud mundanos bonus aduocatus est, qui de mala causa facit bonā. Secunda est, nolle, aut negligere scrutari merita causæ assumendæ, sed qualiscunq; sit, assumere illam ruendam: quia hoc est nō curare an id quod facit, sit iustū vel iniustū: quod est manifeste cōtra charitatē.

Tertia est prosequi causam iniustam, quam à principio putauit iustam: quia huiusmodi prosequutio iniqua est, utpote iniuriam inferens aduersario, debet enim deserere causam, & mouere partem vt cedat seu provideat sibi.

Quarta est, negligere studere, siue scrutari merita causæ, & adhibere debita remedia: ignorantia enim tunc tantum ipsum excusat, quando & quod debuit, non omisit. Quinta est, tacere iniquitatem propositæ causæ suo clientulo, qui putat se rationem fouere. Semper autem credendum est putare clientulum se fouere iustam causam, nisi constet oppositum: quia quilibet præsumitur bonus &c. Huiusmodi enim taciturnitas, dolosa est & iniuriosa clientulo & aduersario. Sexta est docere clientem proponere aut dicere falsum, aut dolosè, & huiusmodi. Septima est, exigere à clientulo plus quàm debet. Et in his omnibus casibus interuenit peccatum mortale manifestè, quia contra iustitiam charitatemque fit, nisi imperfectio actus seu nocuēti excuset à mortali, sicut in mortalibus cæteris imperfectio excusare à mortali non dubitatur.

bitatur. Octava est, nolle, aut negligere aduocare in causa iusta pauperis: quum ipse aduocatus possit, nec appareat alius qui aduocet, & sine eius adiutorio, pauper opprimi creditur. In huiusmodi enim casu tenetur ipse aduocare seu procurare, sicut medicus medicare, si in simili periculo esset pauperis sanitas.

Alchimia quando sit vitiosa, & quando non.

Alchimistarum ars, non est illicita sine fraude, quia nihil repugnans rectæ rationi habet secundum se, Licet multi abutantur ea, aut imprudenter nouis compositionibus se occupent, aut fatuè facultates in fumum conuertant, Nec peccatum est, vendere rem per Alchimiam factam pro re quæ est: sicut cæteras res quocunque artificio factas, licitum est vendere pro his quæ in veritate sunt. Iniquum autem esset vendere illam pro re quæ apparet, & non est, quoniam hoc est decipere proximum.

Ambitio quando que in mortale, quandoque in veniale peccatum imputatur.

Ambitio, hoc est inordinatus appetitus honoris, est manifestè peccatum. Non est autem mortale peccatum, nisi vel ex parte rei in qua appetitur honor: puta si quis vult honorari ob crimen aliquod. Vel ex parte finis: vt si cõstituatur in honore vltimus finis, puta si ob consequendum honorem non curat quis offendere Deum mortaliter, puta quia vult haberi vt Deus, vel preferri aliis quibus non est præferendus in distributione communium dignitatum: vel vult ob honorem quod quodcunque aliud mortale: vel e contra honor desideratur ad scelus aliquod perpetrandum, puta ad tyrannidem.

Apostasia tripliciter consideratur: & an semper